THESES PHILOSOPHICÆ

Quas, DEO auspice,

Propugnabunt Adolescentes Magisterij Candidati,
EX ACADEMIA IACOBI REGIS
Hâc vice cum fauctâ emittendi.

Ad Diem VII. KAL. AVGVSTI,
EDINBVRGI in Ædi sacrâ Australi.

PRÆSIDE GVILIELMO REGIO.

Pro cujus Lectoris habent sua fata Libelli.

EDINBVRGI,
Excudebat Iohannes Wreittonus Typographus. 1624.

Adolescentes Magisterii Candidati.

Alexander Hepburnus.
David Scharpius.
Edwardus Millarus.
Edwardus Richardſonus.
Franciſcus Irvingus.
Georgius Douglaſius.
Georgius Glennæus.
Georgius Hepburnus.
Gulielmus Belus.
Gulielmus Blarius.
Gulielmus Robertſonus.
Gulielmus Thomſonus.
Iacobus Ainſlius.
Iacobus Dumbarus.
Iacobus Fouliſius.
Ioannes Charterus.
Ioannes Decentonus.
Ioannes Lindeſius.
Ioannes Mackenzæus.
Moſes Thomas.
Patricius Drummondus.
Patricius Cheyneus.
Patricius Scougallus.
Patricius Waterſtonus.
Robertus Carſanus.
Robertus Fairlæus.
Samuel Ouſtinus.

HEROI,
GENERIS, VIRTVTIS, & HONORIS CLARITATE ILLVSTRI,
D. GEORGIO HAYO,
DOMINO DE KINFAWNIS,
MAGNO SCOTIÆ CANCELLARIO,
ET REGI TER-MAXIMO AB INTIMIS IN ANGLIA CONSILIIS, &c.

ADOLESCENTES MAGISTERII CANDIDATI.

S.

PEccassemus (Generosissime Domine) in genium tuum, in patriam, cujus alter quasi parens es, in almam matrem Academiam IACOBI REGIS, quæ in tuam clientelam recipi, tuumque animum & amorem demereri sollicite postulat; si, qua virtutis & amplitudinis tuæ admiratione percellimur, illam literario aliquo ad posteritatem monumento non testaremur. Id summa tua in literatos humanitas, animi tui in solidam gloriam ac veram laudem

laudem adſpirantis magnitudo, id auguſta fortunæ, in quam, evectus es, Amplitudo, ſuo jure expoſcere videri poſſunt: ut literarium hunc ingenii cenſum in tutelæ tuæ ærarium conferremus. Nam quid attinet nominis tui celebritatem, vitæ pene divinæ morumque integritatem, præſtantem ac ſingularem eruditionem, maturitatem in conſiliis, prudentiam in negotiis, in jure dicundo æquabilitatem, & reliqua ingenii animique tui decora & ornamenta, omnium oculis expoſita, verbis enarrare. Quæ cum penitus perſpexiſſet ſapientiſſimus Rex, Te necopinantem, nec tale quid meditantem, non alia quam meritorum tuorum commendatione, ſupremi Senatus Principem renunciavit; ut in ampliſſimo illius ordinis choro, non aliter, quam Heſperus inter ſydera, fulgeres. Vnde, juxta illuſtris & cordati Laconis votum, non viro Magiſtratum, ſed Magiſtratui virum dediſſe, nec te Magiſtratus illius faſcibus decoraſſe, ſed Magiſtratum illum virtutum tuarum ſplendore illuſtraſſe videatur. Optaremus tullianam eloquentiam, ad ea, quæ in Te Natura congeſſit, virtus tua auxit, bona, pleniore ore commendanda; ſed nec tua verecundia patitur, qui ſemper bene facere quam bene audire glorioſius duxiſti; nec noſtrarum eſt partium de colligendis aliunde virtutis tuæ teſtimoniis cogitare: cum omnium, non ſolum proborum, ſed & improborum præconio (nam vel ſandalium tuum ipſius Momi ſpreverit cenſuram) tantopere celebreris. Suſcipe igitur (Ampliſſime Domine) munuſculum hoc, quamvis exiguum: ſiquidem ne ipſe Oceanus, quantumvis immenſus, tenuiſſimos rivulos excipere dedignatur: & patere, quæſumus, ut honorarium hoc literarium honorati tui nominis literas in fronte gerat, quò vivo illo, nominis tui ſplendore, nubeculæ, ſi quæ ſint (quod in his ſtudiis humanum eſt) diſpellantur diſſipentur, evaneſcant. Faxit Deus Opt. Max. ut Senatui populoque huic diutiſſime interſis ac præſis, quo te ſalvo, in maxima licet patronorum orbitate & amicorum ſolitudine, verendum non ſit, ne innocentiæ & veritati ſuus deſit patronus judex & vindex.

Dii Felix vive & vale.

THESES LOGICAE.

I.

INtellectus humanus naturaliter est propensus ad actum sciendi, vt ad actum suum perfectum.

1. *Datur in hominibus innatus appetitus sciendi.*

2. *Non potest voluntas nisi actum prosequutionis circa scientiam exercere.*

3. *Actus, quo appetitur scientia quà talis, est a naturâ determinatus; & liber, quoad exercitium; naturalis verò & necessarius, quoad speciem actus.*

4. *Scientia tantum per accidens, ratione quarundam difficultatum, potest non appeti; omnes autem scientiæ sunt ex se appetibiles, si non collectivè, saltem distributivè.*

5. *Impossibilitas ad omnes scientias acquirendas non oritur ex impossibilitate aut defectu alicujus principii physici; sed ex defectu externorum quorundam principiorum aut mediorum.*

II. Enti rationis repugnat extra intellectum existere.

1. *Sola entia impossibilia sunt entia rationis.*

2. *Quod in re est impossibile, in ratione est possibile.*

2. *Rosa in hyeme existit in ratione per modum entis realis.*

3. *Ratio judicat impossibile posse existere in intellectu, ab eoq; cognosci.*

3. *Ens reale & rationis essentialiter differunt.*

III. Quicquid est in re impossibile, & apprehenditur ad modum entis, est ens rationis.

1. *Datur etiam ens rationis simplex.*

2. *Simplex illam ab intellectu fingi potest.*

3. *In conceptu entis rationis non componitur non ens cum ente explicite.*

4. *Similitudo entis realis, sub qua ens rationis apprehenditur, est solum medium ad apprehendendum; non objectum apprehensum, aut ejus pars.*

III. Ens rationis habet esse objectivum, ratione cujus existit, quasi præsens potentiæ per modum objecti; & consistit in conjunctione rerum impossibilium.

1. *Solus intellectus potest facere ens rationis.*

2. *Phantasia & sensus possunt facere compositionē falsā non impossibilem.*

2. *Ens impossibile volitum, (ut loquuntur) ab intellectu habet esse, & præsentiam objectivam.*

3. *Non datur medium inter ens rationis, & ens reale.*

V. Ens rationis consistit in conjunctione, vel essentia simplici impossibili; quæ nunquam realiter esse potest.

1. *Cognitio immediata, & directa entium rationis, includit in se imperfectum cognoscendi modum, in quo est quoq; virtualis quidam error.*

2. *Cognoscitur a Deo ens rationis, in ordine tantum ad nostrum intellectum imperfecte modo cognoscentem.*

3. *Cognitio divina, qua mediate ens rationis cognoscit, est perfecta, & conformis suo immediato objecto.*

4. *Conceptus divinus entis rationis, est conceptus perfectus conceptus imperfecti, seu fingentis.*

VI. DEVS enti rationis a se cognito, dat novum esse objectivum, distinctum ab eo, quod habebat in intellectu creato.

1. *Suo cognitione, facit ens rationis.*

2. *Enti rationis facto in suo intellectu, potest fieri simile in alio.*

3. *Plures existentiæ, saltem objectivæ, possunt eidem competere.*

4. *Ens rationis simul est objectum cognitionis, & effectus.*

VII. Nulla natura creata, est ens per essentiam, nec a se, sed ab alio est singularis.

1. Potest

1. *Potest omnia abstrahi a singularitate & reddi universalia, saltem per non repugnantiam logicam, seu non implicationem contradictionis.*

2. *Sola natura divina est essentialiter singularis.*

3. *Unum attributum divinum secundum rationem esse divini, quam habet in Deo, ab altero præcidi nequit.*

VIII. Universale in essendo, est natura abstracta a singularibus, indifferens ad omnia singularia.

1. *Duo tantum sunt universalia in essendo, genus & species.*

2. *Reliqua prædicabilia, respectu suorum inferiorum, vel sunt genera vel species.*

3. *Non omne universale in prædicando, est etiã universale in essendo.*

X. Ad prædicationem requiritur identitas prædicati & subjecti, materialis, vel formalis.

1. *Genus debet esse idem materialiter, saltem potentia, cum specie.*

2. *Genus qua est totum potentiale, & universale, habet quod simpliciter de specie vt tota actuali & particulari prædicetur.*

X. Prædicari de solo numero differentibus est proprium speciei.

1. *Prædicatio summi generis de suo individuo, est per modum speciei.*

2. *Quod non est species secundum naturam, potest esse species quoad prædicationem.*

3. *Dantur aliquæ species, quæ solum sunt prædicabiles.*

4. *Vterque respectus speciei, est essentialis secundæ notioni speciei, qua dicit duas distinctas notiones, duplicemque essentiam eodem speciei nomine, licet prior, & potior sit respectus ad genus quã ad individua.*

5. *Secunda notio speciei æquivoca est, respectu harum duarum intentionum; natura verò realis univoca est, respectu individuorum.*

XI. Ad prædicationem sufficit distinctio conceptuum.

1. *Individuum in particulari, & determinate sumptum, de seipso prædicabitur.*

2. *Si non in re, saltem in intellectu, habet idem per quod a seipso distinguatur.*

XII. Ens ſicuti ſeipſo eſt unum, ita ſeipſo eſt in ſe indiviſum & ab alio diviſum.

1. *Principium conſtitutivum entis eſt etiam diſtinctivum ejus ab aliis.*

2. *Conſtituere & diſtinguere ſunt duo actus diſtincti, ſed ab uno & eodem principio eſſentiali procedentes, & a ſe dependentes.*

3. *Etſi diſtinctio ſit negatio, differentia tamen diſtinguens eſt quid poſitivum cauſans negationem.*

XIII. Ante omnem intellectum res in gradu generico conveniunt, in gradu vero ſpecifico differunt.

1. *Etſi vero gradus in re ſit una ſimplex entitas, virtute tamen eſt multiplex.*

2. *Convenientia rerum in gradu generico non eſt adæquata, totalis & perfecta, ſed inadæquata.*

XIV. Relatio diſtinguitur ſpecie ex diſtinctis ſpecie terminis, quos reſpicit.

Ap. Differentiæ generica & ſpecifica non ſunt diſtincta prædicabilia.

XV. Proprium reſpectu inferiorum habet eſſe vniverſale ſimpliciter, reſpectu vero ſubjectorum ſpeciei eſſe diſtinctum prædicabile ab aliis.

Ap. Proprium non eſt vniverſale reſpectu ſpeciei.

XVI. Vnivocum ſignificat eandem eſſentiam in ſuis inferioribus; & eſt extra differentias vnivocatorum.

1. *Accidens non eſt vnivocum reſpectu omnium accidentium.*

2. *Convenientia accidentium in communi ratione eſſendi in ſubjecto, eſt tantùm proportionalis non eſſentialis.*

3. *Accidentia etſi non attributionis, proportionis tamen analogiam habent.*

XVII. Ex participatione ſpecierũ individua ſunt ſubſtantiæ.

1. *Ob ſuam exiſtentiam individualem actu ſubſtant, ob rationem vero ſpecificam ſubſtare poſſunt.*

2. *Individua propter actum ſubſtandi prima dicuntur ſubſtantiæ.*

3. *Cum individua dicuntur per ſe prima ſubſtare, in ea includuntur ſecundæ ſubſtantiæ, quæ ſunt ipſorum eſſentiæ.*

4. *Licet substare primo conveniat primæ substantiæ, secundo secundæ, utriq; tamen vnivoce non analogice.*

5. *In vnivoco potest esse inæqualitas in aliquo modo essendi, licet in essentia formæ sit æqualitas.*

XVIII. Natura subjecta debet esse distincta ab ea cui subjicitur.

Ap. Individua respectu generum & specierum non sunt subjecta inhæsionis, sed identitatis essentialis.

XIX. Substantiæ nihil est contrarium.

1. *In genere substantiæ contrarietas differentiarum solum negativa est non positiva; metaphysica respectu generis, non physica respectu ejusdem subjecti.*

2. *Formæ substantiales se excludunt ab eodē subjecto, nō propter oppositionem formalē substantialē, sed per accidens, ob defectū dispositionū.*

3. *Virtualia continentia contrariorum non inducit contrarietatem in causis continentibus; nec ex effectibus contrarijs necessario colligitur causarum contrarietas.*

XX. Per solam numerabilitatem habent vnitates omnia numeri essentialia.

1. *Esse numeratum actu, non est de numeri essentia, nec cum numeratur fit, sed invenitur & cognoscitur.*

2. *Numerabilitas respectu numerationis est quid potentiale, at respectu numeri, cujus est actus essentialis, est quid actuale.*

XXI. Actio constituit agens in ratione principii actualis, in ratione vero formali principii constituitur per potentiam activam.

1. *Actio nō est fundamentū relationis agentis, sed tantū ratio fundandi.*

2. *Nisi principium activum & passivum reducantur in actum non fundabunt relationē realē.*

1. *Sublatâ potentiâ generativa nō existeret relatio paternitatis, nec substātia patrū sine eâ est sufficiens generationis principium aut paternitatis fundamentum.*

3. *Pater refertur ad filium non tanquam ad hominem præcise, sed vt ad hominem a se genitum.*

4. *Mortuo filio non est actu pater.*

XXI. Relatio prædicamentalis est pura, nullam rem absolutam in se includens.

1. *Includit tantum fundamentum relative, vt se habet ad terminum, non absolutè, ut in se est.*

29 Ars conceptum tamen formalem, complexum relationis, requirit vterà conceptus tam (in) quam (ad.)

XXIII. Nullus habitus ex sua essentia est immobilis a subjecto, sed per accidens, quod non habeat contrarium, vel per alias causas extrinsecas.

Ap. Nullus habitus secundum suam rationem formalem, essentialiter a dispositione distinguitur.

XXIV. Negatio secundum se non est realis, nec ex se requirit realem subjecti existentiam.

Ap. Propositio negativa, de subjecto impossibili est, vera.

XXV. Prædicatio attributi affirmativi abstrahentis a realitate, in hoc fundatur quod prædicatū includatur in cōceptu subjecti.

1. *Requirit necessario existentiam rationis.*

2. *In omni propositione affirmativa requiritur existentia prædicato proportionata.*

3. *Ex propositione de est 3°. adjacente, licet inferre propositionem de est 2°.*

XXVI. In Iudicio Enunciativo concurrunt tres actus, unus quo apprehenditur subjectum, alter quo prædicatum, tertius respondet copulæ, estq; judicij componentis prædicatum cum subjecto.

1. *Formalis ratio secundæ operationis consistit in ea conjunctione, quæ fit per judicium compositivum.*

2. *Actus componens in se est simplex, non compositus, sed compositivus rerum diversis conceptibus conceptarum.*

3. *In propositione etiam negativa datur compositio.*

XXVII. Omnis conceptus, & judicium intellectus, ex conformitate cum objecto sumit suam veritatem.

1. *Propria veritas secundæ operationis, nec transcendentalis est, nec moralis, sed logica.*

2. *Prima ratio conformitatis in judicio, est conformitas judicij cum re, secunda conceptus objectivi cum re.*

3. *Entia rationis, & ficta veritatem etiam habent secundum similitudinem, & proportionaliter.*

4. *Potest intellectus, quod scit in re esse falsum, affirmare tanquā verum ex suppositione.*

XXVIII. In

XXVIII. In hac propositione (Petrus mortuus est homo,) prædicatum est contradictorium subjecto.

1. *Non est propositio essentialis, aut necessaria, sed falsa.*

2. *Petrus tantum existens, aut conceptus, est homo propter essentialem nexum terminorum, significatum per verbum (est.)*

3. *Hæc est vera (Petrus mortuus non est homo) & consequenter (Petrus mortuus non est Petrus.)*

4. *Non est hæc identica (Petrus mortuus est Petrus.)*

5. *Termini, si cum adjecto aliquo diminuente sumantur, ne prædicata essentialia absolute conveniunt, sed proportionaliter; ut si dicamus (Petrus mortuus est homo mortuus.)*

XXIX. Tota ratio contingentiæ, desumitur ex causa indeterminata & indifferenti ad agendum vel non.

1. *Sola causa libera, facit in rebus contingentiam.*

2. *Causa naturalis impedita solùm producit effectum contingentem respectu talis causæ, at necessarium respectu utriusque impedientis & impeditæ, quæ sunt una causa totalis & necessaria illius effectus.*

1. *Formalis ratio contingentiæ est in hoc quod ita est ut potuerit non esse, aut non est ut potuerit esse.*

2. *Supposito quod effectus contingens est, impossibile est non esse, & necesse est esse; necessitate fundata in illa suppositione.*

3. *Necessitas ex suppositione non repugnat contingentiæ, nec tollit ejus rationem essentialem.*

4. *Futurum contingens, determinate & necessario ex suppositione est futurum.*

XXX. Intellectus noster, est potentia finita, habetq; attentionem finitam, nec potest pluribus simul perfectè attendere.

1. *Dum ad aliud objectum et propositum se convertit, distrahitur a priori actu.*

2. *Intellectus positis præmissis potest cohibere assensum conclusionis, aliqua causa intervenient & impedi-ente.*

3. *Non est potentia ab intrinseco libera, sed necessaria; ab extrinseco tamen in actu impeditur.*

4. *Assentiendo præmissis, solum constituitur in actu primo, potens*

ad inferendam conclusionem, nec dant præmissæ primam facultatem efficiendi conclusionem; sed, tanquam extrinseca ratio cognoscendi, determinans intellectum, ut per suam activitatem eam efficiat.

5. *Habet conclusio intrinsecam cognoscibilitatem, distinctam a præmissis.*

6. *Intellectus non fertur eodem actu in præmissas & conclusionem, nec præmissa continentur actu in actu conclusionis, sed sunt duo actus distincti sibi subordinati.*

XXXI. Si subjectum non habeat veram existentiam nihil ei vere & realiter convenire potest.

1. *Præter quid nominis subjecti præcognoscendum est etiam quod sit.*

2. *Scientia requirit veram & realem subjecti existentiam.*

3. *Abstrahit tantùm ab existentia determinata & in particulari.*

XXXII. Principia demonstrationis debent esse immediata ratione causæ, ita vt nullam mediam causam habeant, per quã possunt demonstrari.

1. *In propositione demonstrativa ipsi termini sunt causa suæ connexionis.*

2. *Causa effectiva entis creati potius est causa existentiæ, quã alicujus essentialis connexionis.*

3. *Cum sit extrinseca, ad demonstrationem non pertinet.*

1. *Non omnis definitio est medium demonstrationis a priori, sed tantum definitio subjecti.*

2. *Medium demonstrationis nõ debet esse ex natura rei distinctum, sed sufficit ut distinguatur secundum conceptum.*

3. *In intellectu angelico hæc propositio (homo est risibilis) est immediata, in humano verò mediata.*

XXXIII. Μᾶλλον ἀναγκη πιστεύομεν τοῖς ἀρχαῖς τῶ συμπεράσματος.

1. *Principia sunt magis nota conclusione, si non propter majorem intensionem, saltem propter independentiam in cognitione, magisq; necessaria ob majorem necessitatis causam.*

2. *Postquam mens cognovit causam ex effectu, penetrat illam tanquam objectum sibi proportionatum, & non amplius ei assentitur propter effectum, sed propter seipsam, licet prima origo cognitionis fuerit ab effectu.*

3. *Intra summæ certitudinis latitudinem potest dari major vel minor certitudo.*

XXXIV. Causa

XXXIV. Causa non solum debet esse talis virtutis, sed etiã distincta ab effectu.

1. *Causa virtualis, non est absolute & simpliciter causa, sed solum in intellectu cum aliquo fundamento in re.*

2. *Demonstrationes per tales causas non sunt διότι simpliciter, sed κατὰ τί, nec in eodem gradu demonstrationis διότι cum ijs quæ sunt per causas actuales & simpliciter.*

3. *Passiones entis cum aliquo modo distinguantur ab ente, ratione solum connotati, habent in ente causas non virtuales, sed actuales.*

3. *De Deo non potest haberi demonstratio a priori simpliciter.*

4. *Omnia attributa, immediate Deo competunt ab q causa.*

5. *Deus est perfectissime scibilis, non scientia demonstrativa, quæ est entiũ imperfectorũ, habentium veras causas suarũ proprietatũ: sed alia nobiliori illi proportionata, quæ est scientia immediata, & simplex, ac scientia visionis dicitur.*

4. *Demonstrationes Metaphysicæ sunt διότι simpliciter.*

XXXV. Rerum essentiæ a nobis non cognoscuntur vt sunt in se, sed tantum quoad connotationes accidentium, vel effectuum.

Ap. Non datur in nobis scientia perfecta absolute, sive definitiva, sive demonstrativa.

XXXVI. Demonstrare proprietates physicas, per essentiam subjecti physici, est physici proprium.

1. *Mathematicus eas solum demonstrat ex habitudine, quam habent ad aliam figuram, vel aliquid aliud extrinsecum, quæ causa mere est extrinseca, & potius cognoscendi, quam essendi.*

2. *Demonstrationes Mathematicæ non sunt potissimæ.*

3. *Vsus est ijs philosophus, non tam ob earum ἀναγωγὴν, quã ob summã earũ evidentiam.*

4. *Quid si dicamus Philosophũ proposuisse sibi a potissimæ demonstrationis, & exemplar perfectissimũ, ad quod omnes demonstrationes accõmodari debent, vt tanto perfectiores censeantur, quanto magis ad exemplar ipsũ accesserint, etsi forte turã ad perfectã, & omnibus numeris absolutã rationẽ demonstrationis pertingant.*

THESES PHYSICAE.

I.

DEI atrienſis, Natura, Elementa adverſis qualitatibus pugnantia, ſic ad vniverſi conſtitutionē integra, ad miſti compoſitionem tranſmutata, cōnexuit; ut illic alterno extremorum, & mediorum ſitu, hic juſta ſimilium ac diſſimilium qualitatum temperie, ſub unius formæ imperio, concordi fœdere coaleſcant.

I. *Merito τολχεῖα dicuntur, quod invicem conveniant, & conſtent, ambiũ quodã, ac concordiæ ſocietatiſq́ chorō: in quo tamen perpetuum compugnantiũ qualitatũ diſſidiũ, tam in ſimplicibus, pene partes, quã miſtis, tenet temperiem, adeo perpetuam mutationem parit; ut temperies illa ſummouerit ad juſtã ejus formæ cujus miniſtra eſt, analogiã conformata; nec in eodē corpore perpetuo eadem, nec in diverſa vndiquaq́ ſimilis unquam deprehendatur.*

2. *Merito Empedocles litem & quitiam, rerum naturalium principia ſtatuiſſe videtur.*

II. Generatio, eſt mutatio de non eſſe; non puro, ſed ab eo quod non eſt ſed poteſt eſſe, ad eſſe.

1. *Tria tantum ſunt intrinſeca principia generationis.*

2. *Generatio ſolũ reſpicit agentem ſub ratione actionis, quaſi materialiter in eã incluſum & ſub ratione formali, dicit intrinſecũ ordinem ad terminũ (a quo) & (ad quem.)*

3. *In formã tendit generatio, non tamen fit per generationē.*

4. *Forma eſt terminus generationis formalis ut (quo,) compoſitũ terminus completus & ut (quod.)*

III. Materia eſſentialiter eſt potentia, & quid incompletũ.

1. *Non habet ſpeciem completam, ſed incompletam in quantũ eſt pars corporis, quæque eſt ei intrinſeca.*

2. *Diverſæ ſpecies, quas habet materia ſecundũ quod conjungitur formis diverſæ ſpeciei, ſunt adventitiæ, & quaſi extrinſecæ reſpectu materiæ.*

3. *Vnio materiæ cum formis, est substantialis & intrinseca; sive ea tamen salvantur essentiæ materiæ.*

IV. Omnes formæ etiam diversissimæ secundum speciem, conveniunt in eodem modo informandi materiam amissibiliter, ut loquuntur Interpretes.

1. *Materia respicit quamlibet formam hujus vel illius speciei, tanquã actũ inadæquatũ; omnes vero tanquã actũ unum adæquatũ unitate formali adæquato.*

2. *Ab hac potentia materiæ sumis unitatẽ specificã, quam nequit tollere diversitas specifica formarũ, utpote materialis & inadæquata.*

V. Materia ex se ad omnes formas hospitandas æque est affecta, hanc tamen vel illam non prius admittit, quam præviarum qualitatum alteratione & temperie, suo quodam modo, qui qualis quantusq; hospitandæ formæ conveniat, apparetur.

1. *Non omnibus formis materia subest, non tamen eodẽ apparatu singulas admittit, sed vario & multiplici cuiq; formæ inducendæ & conservandæ convenienti.*

2. *Generans igitur sive æquivocũ sive univocũ, materiã prius certa primarũ qualitatũ temperie & alteratione admittendæ formæ analoga apparat & instruit; tum formã producit, non secũs, ut assistat, sed in & cũ materia, ut informet.*

3. *Formam educi ex potentia materiæ, est ita produci ab agente naturali in & cum materia, ut sine hac nec fieri, nec esse, nec ullam actionẽ obire possit.*

4. *Hujus conditionis non est anima humana, quæ non reducitur ex potentia materiæ, a qua nec ut fiat, nec ut sit, dependet.*

5. *Non ob id tamen homo hominẽ unum generare dicetur, siquidẽ generantis opera, materia disponitur ad formæ receptionẽ, & fit ut forma cũ materia uniatur.*

6. *Educi ex potentia materiæ, ab ea intrinsece dependere, sunt imperfectiones tantũ formarum pure materialium, a quibus anima rationalis libera esse debet.*

VI. Post unionem formæ cum materia, quæ intrinsece at-

tingit formam, tanquam immediatum terminum; absque ulla nova actione, resultat ipsum totum compositum.

1. *Forma & compositum in generatione, non terminant diversas actiones, sed unam tantum, quæ intrinsece terminatur ad formam, extrinsece ad totum compositum.*

2. *Non omnia quæ reipsa distinguuntur, producuntur actionibus realiter diversis.*

VII. Motus est via inter duos terminos (a quo) & (ad quem) ita ut ab illo recedat, & ad hunc accedat.

1. *Primum esse mobile in termino (ad quē) est primum non esse motus.*

2. *Motus non recipitur in termino (ad quē,) sed realiter est in mobili, tanquam subjecto.*

VIII. Natura motu creat tempus.

1. *Motus est mensura temporis a natura, tempus vero tantum metitur motum nostra mensura.*

2. *Hinc est, quod motus Cœlestes, ac per hos, alios quosvis, annis, mensibus, diebus, & horis, tanquam mensura quadam nobis notiore metimur, quas rursus temporum differentias certis syderum ☉ & ☽ revolutionibus definimus.*

IX. Deus, omnium opifex, cum omnia crearet, ea sibi similia fecit.

1. *Ideas, omnium rerum causas exemplares, divinæ menti insitas merito agnoscimus; nec, ob idearum multitudinem, minus simplex erit essentia divina.*

2. *Quo tamen longius res creatæ a divina absunt perfectione, eo inter se, & menti divinæ dissimiliores sortitæ sunt ideas.*

3. *Quantum materiæ imperfectio & naturæ creatæ fixa capacitas perpeti potest, in rebus omnibus, pro cujusq; modo & modulo, divinæ mentis imago quædam elucet.*

X. Mundus unus est, coaptatione partium inter sese cohærentium, mutua membrorum conspiratione; horum ad receptionem, illorum ad efficientiam; & causæ efficientis unitate, cujus potestate facta sunt omnia, & nutu reguntur.

1. *Quamquam certum est, non nisi unum esse, infinita divini opifi-*

ficiâ potentia creatum, & suo deinceps tempore renovandum; nec tamen opificis virtuti, quæ infinita est, nec passibili naturæ materiæ, quæ creatione multiplicabilis est, repugnat plures esse posse.

2. *Quin, ex doctrina Peripatetica, mundorum pluralitas successiva, vel coæva, æque astrui potest, ac unius æterna duratio.*

3. *Argumenta quæ a causis, exemplari, efficiente, forma, materia, movente, motu, & figura ducuntur; etsi suadere facile possunt, mundum hunc sive compare unicum esse, non tamen persuadent plures esse non posse.*

XI. Vapidus hic aer, qui nos ambit, circa horizontem copiosior & constipatior, juxta verticem tenuior & purior; efficit ut syderum refractiones prope horizontem evidentiores & majores sint, altiori vero in situ minuantur, & sensim evanescant.

1. *Etsi ignis cœlo, & aeri interjectus, sit illo densior, hoc rarior, ita ut necesse sit, tam in igne, quam in aere radiorum refractiones fieri: ejus tamen sunt tenuitatis, ut juxta verticē aut nullæ sint, aut quæ in sensum non incurrant; in Horizonte etiam perexiguæ, nisi a circumfusa terris crassiorum vaporum multitudine, continuo accursu augerentur.*

2. *Qui ignē è numero elementorum, imo è rerum natura tollunt, ratione a syderum refractione ducta, nihil solidæ rationis afferunt, quo vel Aristi. sententiam labefactent, vel suam astruant.*

XII. Motus circularis non fit ad terminum in quem exeat; sed recurrit in sese, & partium tantum est totius quiescentis, quieti simillimus.

1. *Nec incipit nec desinit, sed in se reflexus recolligitur, continuitate sua uniformis; etsi durationis, ut sparij termini nullis definitur.*

2. *Cœlum non movetur loco, sed in loco; nec secundum se totum, sed partes, quæ non in sparia, sed toto suo moventur, in quo nullam licet designare partē, a qua reliquæ incipiant, & ad quam desinant moveri.*

3. *Merito dicitur motus circularis imitatio quædam Intelligentiæ motricis.*

4. Sicuti

4. *Sicuti, quæ corpori quæ corpus cum divina natura analogia intercedit, in figura & motu potissimum cernitur, in quibus instar umbræ deprehenditur: ita in nulla figurarum, quam sphærica, nec ullo motuum, quam circulari, expressior est.*

XII. Sua cuiq; orbium Cœlestium Mens motrix adest, quæ voluntaria conversione orbem suum movet, non ob sui perfectionem, ad quam multiplex ille Cœlorum motus nihil adfert adjumenti; sed ob rerum sublunarium perpetuam generationem.

1. *Cum necesse sit, hanc fieri & perpetuæ vicissitudine propagari, nec possit natura utrumvis hoc unico simplici motu facile consequi, plures instituit in orbibus citerioribus; quorum sua cujusque orbis Mens motrix, causa per se esset: illius, quæ proprium dicimus per se primo intellectione sui, ob generationē sublunarium: alterius, qui dicunus est etiam per se, sed secundaria intellectione & intentione, qua primam Mentē intelligit ejusq; conversionem in suo orbe imitatur ad generationis perpetuitatem.*

2. *Non alienum est Mentes motrices, quæ non naturæ necessitate, sed libere voluntarie intellectionis actu orbes movent; plurium diversorum motuum per se causas esse, sed alia atq; alia intellectione, & ob diversos fines.*

3. *Non necesse est omnes orbes inferiores a prima Intelligentia moveri.*

XIII. Terminus (ad quem) sicuti speciem & distinctionem, ita nobilitatem motui absolute confert.

1. *Alteratio omnium motuum est præstantissimus, sicuti qualitas quantitate præstat.*

2. *Quæ in morbis & hominum ætate, aliisq; id genus secundum diversos numeros accidunt, non ad ipsorum numerorum efficacitatem, quæ nulla est referri debet; sed partim ad Cœlestium corporum influxum, humores temperamentumq; varie immutantem, partim ad ipsam humorum vim, & abditiorem sympathiam, aliasque causas nobis ignotas, quæ numeris quibusdā, lege quadam institutoque naturæ, sunt conjunctæ.*

XIV. Non solum Sacræ literæ, quæ testantur ☉ pugnante Iosua,

Iosua 3. horis constitisse, ad orationem Hezekiæ 15. grad. regressum esse, Stellam novam Magis apparuisse: sed etiam novorum syderum procreatio, unius, Anno 1600, in Cygno juxta eam stellam quæ in ejus pectore lucet, alterius, quod Anno 1604. in ♐ visum est: Cometarum etiam in Ætherea regione supra ☾ situs, cœli mutabilitatem arguunt.

1. *Certum igitur posse Deum, qui universum ex nihilo architectatus est, nova sydera ubi, quando, unde & qualia velit, efficere? quo antè modo, quove fine, homini incertum.*

2. *Nil aliud hic profiteri libet, aut licet, quàm quod in arte medica Hippocrates, vitam brevem, artem longam, observationes incertas, conjecturam variam, iudicium difficile esse: casûs animi humani angustias agnoscere, ut in plurimis naturæ arcanis balucinetur, in multis etiam plane cæcutiat, adeo ut humanæ sapientiæ pars maxima sit, quædam æquo animo nescire velle.*

XV. Æternus rerum opifex, in prima creatione, non modo cuique naturæ, exemplaris qualem ferre potuit imaginem, qua esset & perficeretur impressit; sed ejusdem etiam perpetuo retinendæ & conservandæ affectionem quasi immortalitatis quandam affectationem insevit.

1. *Cum corpora sublunaria & caduca, per se singula & in individuo hanc assequi nequeant; continuata sui similis generatione, tanquam quodam immortalitatis antidoto, effecit, ut si non ipsam immortalitatem, hujus saltem umbram, perpetuam scilicet secundum speciem incolumitatem consequerentur.*

2. *Appetit igitur unumquodque ens esse, non tanquam absens, quo potiatur, sed tanquam præsens ut conservet, seu potius conservationem sui esse: ut, quia quod præsens est abit, appetit quod abest, ut subeat & sit præsens.*

XVI. Alimenta sic convertuntur in substantiam viventis, ut etiam agant in ventriculum, ipsumq; suis qualitatibus afficiant & ex parte sibi similem reddant.

1. *Quoniam a simili non fit læsio, postquam longo usu & assuetudine, ventriculus his aut illis cibis, aut etiam veneno, affectionum convenientiam cognationemq; obtinuit; simul consequuti est ut ab his*

alioqui natura ſua contrarys & noxijs, non læderetur.

2. *Alimenta quæ uni viventium ſpeciei conveniunt, alteri ſæpe accommodata non ſunt, & interdum quod uni eſt alimentum, alteri eſt venenum, ob temperamentorum diverſitatem, imo & ipſa alimenta ob Soli Regionisq; diſſimilitudinem nonnunquam ingenium & conditiones mutare ſolent.*

3. *Quod in ſpecie humana quidam impune veneno vixerint, id ad conſuetudinis vim referre debet, quæ non aliter ab ijs indui potuit, quam ſumpto ad prima initia veneno in quantitate admodum parva, ita ut præoccupata virtute ſtomachi, ejus efficacitas ad cor non pertingeret, vel etiam præſſumptis remedijs, quod Mithridatem feciſſe teſtatur antidotum Mithridaticum.*

XVIII. In corporum ſtructura videmus utriq; bili, ut excrementis ad nutritionem inutilibus, propria conceptacula deſtinata eſſe: at ſanguinis vaſa per totum corpus fundi, ut inde omnia membra paſcantur.

1. *Ex omnibus quatuor humoribus ſolus ſanguis eſt commune membrorum alimentum, quamvis non omnia eo proxime nutriantur.*

2. *Licet ventriculus aliquam chyli portionem vendicet, & impropriam ſubſtantiam convertat, poſtea tamen, ex ſanguine ab Hepate remiſſo, uberiorem capit nutritionem.*

3. *Utriuſq; bilis veſicula, peculiarem ſibi humorem ad ſe attrahit, non ut eo alatur, nec ob privatam utilitatem, ſed ad ſanguinem repurgandum.*

XIX. Calor ignea acrimonia humidum continenter ad interitum rapit, contemperationem illam ſine qua vita conſiſtere non poteſt, niſi aliunde provideatur, diſſoluturus.

1. *Hinc orta eſt in viventibus neceſſitas alimenti, quo humidi jactura ut fluxumq; materiæ reſarciant.*

2. *Neceſſe eſt omne vivens nutriri.*

3. *Licet animantia ab externo alimento abſtineant, non*

1. *Calor etſi non per ſe & ex inſtituto, in ſui pernitiem agit, ex accidente tamen ſeipſum interimit, quatenus abſumit pabulum, quo exhauſto extingui una cum eo neceſſe eſt.*

2. *Idem ſpecie calor, quæ animæ inſtrumentum, materiam diſ-*

tamen intermittitur nutritio, ſed tunc aluntur petuita, ſeu concreti & indigeſti humoris colluvie jam ante coacervata, quam, ob inertiam caloris, lente admodum decoquunt, & obtuſo ac enervato calore, humorem quo paſcuntur vix conficere & mutare valent, ideo ipſum in arvinam & adipē convertunt, adeo ut prædicta animantia tunc affluentius pinguescant.

4. *Fatigatio in eas tantum corporis facultates cadit, quæ agunt per applicationem agentis, ut loco-motiva, non quæ operantur per modum naturæ, vt nutritiva, quamvis hæc etiam a contrarijs repatiendo debilitetur, progreſſuq; ætatis frangatur & bebeſcat.*

ponit ad animæ introductionem; rurſus idem non per ſe, ſed una cum alijs cauſis humidum reſolventibus, diſponit ad interitum ſeu abſceſſum animæ.

3. *Accidentium actio, propter concurſum diverſorum accidentium, in effecta diverſa, & etiam nonnunquam repugnantia degenerat.*

4. *Nihilominus corpora calidiora, quia ob innati caloris vim, melius decoquunt alimenta, & majorem humidi copiam reparant, vivaciora ſunt.*

5. *Non ſemper ubi plus eſt caloris, ibi humidum magis dificit.*

XX Inter alimentum & vivens, neceſſario datur actio reciproca, qua humidum a propria habitudine, & temperamento dimouetur, & a ſeipſo degenerat, indieſq; fit deterius.

1. *Calor etiam in humido exiſtens, agendi aſſiduitate & perpeſſione langueſcit.*

2. *Subſtantia viventis, priſtinum vigorem, ex alimento in ſe converſo, recuperare nequit.*

3. *Nulla vivendi lege, nec ullo quantumlibet exquiſito alimento & ſalutari, poteſt revocari humidum æque bonum, ac id quod ab ipſo ortu Natura nobis elaboravit.*

4. *Quod Alchymicæ artis profeſſores, affirmant per aurum liquatum & aptum habileq; ad potandum, & per eam quam quintam eſſentiam vocant, arceri poſſe ſenectutem, πλασματα ὑποτυπωτικα*

XXI. Omnis actio phyſica unius in alterum, fundatur

in victoria & excessu agentis, quod patiens sibi assimilare conatur.

1. *Datur tantũ actio inter similia, quoad qualitates in specie, non gradu, aut efficacitate agendi.*

2. *Aqua aere frigidior non ab illo condensatur, sed partim a Corporũ Cœlestiũ influxu, quæ in aqua vt in nativo subjecto, promptius quã alibi, frigiditatẽ imprimunt; partim a certa aliarum qualitatũ coitione, quæ aquæ liquorẽ in gelu contrahit.*

XXII Frigus & siccitas, cum tanquam propria sensibilia tactu percipiantur, erunt qualitates positivæ.

1. *Solo caloris abcessu nihil refrigeratur, nec solo humoris dispendio siccessit; sed quia abcessũ caloris, vt in tertiana accidit, coeuntibus ad interiores partes spiritibus, vera ac positiva frigoris receptio: humoris etiã interitũ, vera & positiva siccitatis introductio consequitur.*

2. *Philosophus sæpius privationes vocat, quia cũ unũ contrariorũ ab alterius perfectione deficit, quod minus præstans est, eminentioris quasi privatio habetur.*

XXIII. Quatuor tantum sunt qualitates primæ corporeæ, & sensibiles, corporibus elementariis insitæ ac peculiares.

1. *Etsi corporibus mistis qualitates virtuales insunt, vt piperi ad calefaciendũ ventriculũ; non propterea elementis sunt tribuendæ.*

2. *Nec aqua calida, ad pristinũ frigus reducitur per frigus virtuale; sed a generante tanquã causa principali, & proxime a sua forma substantiali, vt illius instrumento.*

3. *Virtus Magnetis, & privatæ quædam proprietates aliorũ corporum mistorum, non sunt qualitates secundæ a primis ortæ, sed a corporibus Cœlestibus imprimuntur.*

XXIIII. Radii ☉ in vitro coeuntes, & in materiam idoneam incidentes, producunt ignem: & medicamenta igneo calore affecta, ventriculi calorem promovent, & decoctionem juvant.

1. *Calor Elementaris seu igneus, non differt Specie a Cœlesti & vitali.*

2. *Caloris omnis, per se unica est Specie actio, calefactio; licet*

ob

ob varias causas, possit actiones & effectus specie diversos producere.

3. *Calor Ignis, non ob aliquam proprietatem sibi insitam, sed quia nimium intensus, viventis temperamentū evertit: vt & calor viventis, tanquā instrumentū, generat, nutrit, non ob aliquam vim sibi peculiarē; sed ob conjunctionē aliarū qualitatū, quas vivens in semen & alimenti materiā inducit.*

XXV. Quilibet actus erroris, quantumlibet remissus, perfecte adversatur habitui scientiæ: & quilibet actus scientiæ habitui erroris.

1. *Perfectio repugnantiæ in his actibus & habitibus, non pendet ex graduali intentione actus & habitus; sed ex natura & vi affirmationis & negationis.*

2. *Habitus scientiæ & erroris non possunt esse simul in eodem intellectu, ne in gradibus remissis.*

3. *Sicuti nulla contraria in gradibus intensis, ita nec omnia in gradibus remissis eidē inesse possunt.*

XXVI. Tepor nil aliud est, quam caloris & frigoris permistio, nec facile est tertiam qualitatem simplicem excogitare.

1. *Duæ qualitates contrariæ possunt in gradibus remissis eidem inesse.*

2. *Magis & minus album non possunt simul cohærere, possunt tamen albedo & nigredo remissæ.*

3. *Hæ magis differunt, quā illa secundū entitatē & naturam; non tamen comparata ad subjectum.*

2. *Oppositio non est integra & adæquata causa mutuæ peremptionis contrariorum; sed pendet etiam ex graduali intentione, & perfectam intentionē gradualem, quadā naturæ necessitate consequitur perfectū dissidium.*

3 *Vbi primum contraria, extra summā unius latitudinem excurrunt; eo sunt ingenio, ut se non simul patiantur, cū ob naturæ pugnā, tū ob defectum capacitatis subjecti.*

XXVII. Elementa quæ sua natura efficaciora existunt, possunt aliunde jam debilitata in pugnam discendere, vel Cœlestium corporum influxibus in ipso progressu atteri, ita ut alia, licet alioqui minus efficacia sibi non subjiciant.

1. *Licet in misto animato temperamentum ad pondus dari nequit,*

non repugnat tamen per naturam, in mixto aliquo inanimato dari.

2. *Hoc corpus, si daretur, inter Aerem & Aquã naturalem locum haberet; ita vt una ejus medietas in Aere emineret, altera in aqua demersa esset.*

3. *Tale mistum homogeneum nullo modo ab intrinseco corrumperetur.*

XXVIII. Vis agentis naturalis, cum sit finita, edito in lucem effecto, quasi effœta manet.

1. *Postquam semel determinata est, a prima causa, ad hunc numero effectum producendum; ex lege ordinaria manet indeterminabilis, ad eandem numero actionem.*

2. *Effectus, qui semel esse desiit, idem numero Naturæ viribus reduci nequit.*

3. *Status animæ extra corpus, nec est naturalis, nec violentus.*

XXIX. Fames est sensio divulsionis ventriculi orta ex attractione alimenti.

1. *Definitio Arist. non per causam formalem & internam, sed finalem traditur.*

2. *Dicitur appetitus calidi & sicci, facta ad sitim comparatione.*

3. *Animalia quo calidiora, eo cæteris paribus, siti vehementius urgentur.*

4. *Hinc est, quod avibus rapacibus, quæ plus habent caloris, consultum sit a natura contra sitis frequentiam, magnitudine Pulmonis, attracto aere refrigerantis os ventriculi subjectum, a quo solo septo membraneo dirimitur.*

5. *Ex dictis patet, quod non omnes actus appetitus sensitivi, sint in nostra potestate; sed quidam, positis circumstantijs, non possint a nobis inhiberi.*

XXX. Animæ functiones mutuo se retardant, & nonnunquam impediunt: ut, actiones sensuum contemplationem, & vehemens contemplatio non modo sensuum, sed & stomachi ipsius operam & nutritionem.

1. *Vniversa hæc munia ab una eademq; Anima perficiuntur, quæ si se vehementius ad vnum applicuerit, ad cætera exercenda non sufficit.*

2. *In*

2. *In homine unica tantũ est anima, totius corporis omniumq; virium Domina & dispensatrix, quæ ab una parte ad aliã, pro rerum opportunitate, spiritus evocat, sinens interim aliam partem destitui.*

3. *Una eademq; anima, naturali sua fœcunditate plures ex se potentias, organorum apparatu, officio, reque distinctas parere potest.*

4. *Accessu animæ rationalis, reliquæ corrũpuntur ab ipso generante, tum per virtutem formatricẽ in spiritu seminis inhærentem, tum per alias dispositiones, quibus materia sic afficitur, vt prædictæ formæ ad certum tempus tantũ in ea serventur; & tandem animæ rationali locum dent, qui primarius est generantis finis.*

THESES ETHICAE.

I.

PErturbatio est motio, oriens ex judicio boni vel mali.

1. *Perturbationes non sunt judicia, non tamen fiunt sine judicio; illudq; sequuntur, ut umbra corpus.*

2. *Perturbationes possunt esse causa, quod homines ijs vario modo affecti, vario modo judicent.*

3. *Non tamen ad facultatem cognoscentem, sed appetentem pertinent.*

II. Quod fit appetitu, violentum dici nequit, cum agens ad illud conspiret, & fiat cum interna commotione.

1. *Appetitus non recte dividitur in naturalem & violentum.*

2. *Desiderium pulchri, solum similitudine quadam potest dici violentum, quatenus externo objecto moventi, nonnunquam non videmur posse obsistere.*

III. Voluntas exposcit judicium mentis, & in bonum tendit.

1. *Omnem mentem comitatur voluntas.*

2. *Mentibus etiam separatis convenit voluntas.*

3. *Non tamen consultatio & prælectio, si proprie sumantur, sed*

tantum pro eminentia & virtute, ac seorsum ab omni imperfectione.

4. *Omnia præstantiam indicantia, quæ conveniunt nobis & sunt complicata cum imperfectione, in principijs supernis seorsum ab omni imperfectione refulgent.*

IV. Obedientia est dispositio, qua vnum alteri subjicitur, implens ejus mandata.

1. *Omnis virtus moralis est, obedientia sensuum rationi.*

2. *Licet obedientia, dum tantum est dispositio, sit juncta cũ humilitate & tolerantia; postquã tamen est contractus habitus, est virtus moralis, sola ratione ab ea distincta.*

3. *Obedientia magis indicat perpessionem, virtus vero actionem.*

1. *Ea sola vera, naturæque consentanea obedientia est, qua inferius suo superiori obtemperat.*

2. *Principi tenentur populi obtemperare.*

3. *Imperia creaturarum, eatenus sunt bona, quatenus sunt juncta cum obedientia, qua superiori nempe, Deo obtemperant.*

4. *Omnis revera obedientia est bona & salutaris, vt merito dicatur, rerum salus, virtutum nervus, humanarum actionum spiritus, regula nostræ salutis, & via ad summum bonum.*

V. Continentia est affectio proba, sequens rectam rationem, qua homo abstinet a voluptatibus, repugnante cupiditate.

1. *Actio continentiæ difficilior est actione temperantiæ.*

2. *Difficultas ex parte objecti & rei quæ efficitur, patefacit virtutem; non quæ est ex parte agentis & modi agendi, quæ indicat agentis & actionis imperfectionem.*

3. *Continens se habet, vt miles, qui constanter cum hoste forti pugnat, at Temperans, vt ille qui hostem vicit, victoriaq; potitus, corona se dignum reddidit.*

VI. Cognitio boni, dum ea vtimur, necessario format actionem probam, cum ejus vsus sit præelectio boni, quam sequitur actio proba.

1. *In attinentibus ad mores, sciens actu, non peccat.*

2. *Incontinens solo habitu, non actu scit.*

3. *Vitiosus vere ignorat, & actu & habitu, omnisq; improbus ignorat*

norat quæ ſunt agenda. 1. 3. Etb.

4. Homo ſciens confuſe, non diſtincte, ſciens communem, non ſingularem enuntiationem, ſciens ſub nube alicujus vehementis perturbationis, non conſpicue, errare poteſt.

5. Hinc modo inficiatur, modo affirmat Philoſophus, ſcientē peccare.

VII. Artifex ſua cognitione poteſt errare, dum ea male vtitur.

1. Rectus uſus non eſt de ratione artis; ſed tantum virtutum moralium.

2. Medicus veneno necans, proprie peccat peccato morali.

VIII. Eorum te nemur rationem reddere, quæ noſtræ præelectioni ſubjiciuntur, & ſunt actiones noſtræ.

1. Ob hæc ſumus digni laude vel vituperio, non ob alia.

2. Tenemur ægre ferre ſcelera eorum, qui nobis juncti ſunt, & pro facultate repellere, at non propterea verecundari.

IX. Prudentia, virtuti morali vel præſcribit finem proximū, per primam & vniverſalem conſultationem, vel per ſecundam ejus conſultationem tradit ei modum aſſequendi finem primo præſcriptum: Virtus vero moralis nos ſolum conſtantes ergo illum reddit.

1. Prudentia dignitate antecellit virtutibus moralibus.

2. Ab ea univerſus ordo, univerſa & recta inſtitutio ortum ducit.

3. Perfectio præelectionis, non tantum ex virtute; ſed etiam ex recta Prudentiæ conſultatione dependet, quæ primo dirigit & nobiliori modo concurrit.

4. Sine prudentia, nemo poteſt proprie dici vir probus. 13. 6. Etb.

X. Ordinata in finem, per ſolam finis rectam conſtitutionem, recte formantur.

1. Qui in decernendo fine aberrant, etiam in ordinatis ad illum delinquant, neceſſe eſt.

2. Priſci Romani, in populari gloria & honore ſummum bonum conſtituentes, frequenter judicati ſunt Heroes, qui potius ſceleſti fuerunt & vitioſi.

3. Factus Catonis nō virtus, ſed ſcelus; nō fortitudo ſed mollities cenſeri debet.

4. Nemo recta ratione valet ſibi mortem conſciſcere.

THESES ASTRONOMICAE.

I.

NVlla est montium, vel altissimorum sublimitas, aut vallium profunditas, si cum tota terræ diametro 7159. mille passuum, nedum cum ambitu 22500. aut tota convexitate 16107954 5. conferatur.

1. *Quanto minus ad cœli, & syderum distantiam comparata, efficiet, vt illorum magnitudo ⊙ viciniam sentire possit, aut observationum certitudini officiat.*

2. *Hæc deformitas montium ac vallium, etsi nobis in terra degentibus, sensum globosi ambitus auferat, tanta tamen non est, vt impedimento sit, quo minus ejus amplexus figuram absoluti orbis efficiat, vel quo minus certæ sint, & ad convexitatem globi tantum mutabiles cœlestium phænomenon notationes.*

4. *Præclare Seneca, excelsa sunt ista, quamdiu nobiscum comparantur; at vero ubi ad universum respexeris, manifesta est omnium humilitas: inter se vincuntur & vincunt.*

II. Causa rotundationis aquæ, est natura, cujus præscripto res quæque, sui conservationem appetunt; finis, unitas quam retinere contendunt, corpora homogenea, quæque in globo maxime conservatur; formalis, perfectio Sphæræ: materialis demum • est liquida humoris natura qui non coarctatur, sed dilatatur, ut tota ejus extremitas, pari undiq; a terra intervallo absit.

1. *Licet guttulæ pulveri vel frondibus insperſæ, qua firmiori & cedenti corpori incumbunt, ob fluidam & liquidam aquæ naturam, dilatentur, qua tamen aerem cedentem occupant, undiq; in globū coeunt.*

2. *In aere etiam humido rotundantur guttæ, nullo ficci metu.*

3. *Non ergo fugit aqua ficcum, ut se conservet, sed amplectitur, ut ipsum solidet.*

4. *Male*

4. *Male Clavius, Cardanum sequutus, censet non vi naturæ, sed ob fugam inimicæ siccitatis, aquarum guttulas sese in orbem cogere.*

III. Qui exactissimam diametri solaris mensuram, & ex ea ☉ ad terræ globum exquisitissimam analogiam deprehendisse videri volunt, illum isto 140. majorem agnoscunt.

1. *Siquidem ergo ☉ è terra tantum podalis videtur, si terra e globo solari conspiceretur, centesimam quadragesimam tantum pedis minutiam, i. e. vix semissem grani bordeacei æquare videretur.*

2. *Licet Terra revera & per se sit magnæ molis, & ad citeriores orbes ☿ ♀ ☾ sensibilem obtineat analogiam, respectu tamen ☉ ♂ aut extimorum, etsi non omnino sit ἀμεγέθης, quæ tamen sensum subeat, nullam præ se fert magnitudinem, nec ullam sensilem observationum varietatem in diversis climatibus parit.*

3. *Non est terra instar puncti, nisi ad universum & extimos orbes comparata.*

IV. Perpetua est lactei circuli eodem semper modo & loco apparentis nocte serena constantia, nec ipsius splendor nunc intenditur nunc remittitur, nec ejus latitudo hic extenditur illic coarctatur, situmve evariat.

1. *Non probabile est hunc circulum esse elementarem, & ad supremam aeris regionem pertinere.*

2. *Nobis maxime probatur sententia Democrito assignata, eum esse octavi Cœli partem, minutiorum syderum, vicino situ inter se confusorum frequentia, consitam, & reliquis ejusdē orbis partibus paulo constipatiorem, in qua acies oculorum non transmissa, sed terminata, confusum illud & debilius lumen, tanquam candicantem quendam splendorem apprehendit; latitudinem autem & fulgorem non usquequaque uniformem præ se ferat, quia nec ubiq; par est minutiorum stellarum frequentia, nec similis condensatarum partium concretio.*

V. Cum ☉ multo major sit terra, hujus plus quam hemisphærium necessario illustratur.

1. *In Æquinoctiis non sunt æquales illuminationis, & diei civilis arcus, siquidē ille ultra horizontē porrigitur, hic horizonte utrinq; terminatur.*

2. *Non ex segmento terreni equatoris, quod tum a ☉ illustratur, sed ex eo quod horizonti extat, aut cum semisse Ecliptiæ ascendit, dies & noctes finiuntur.*

3. *Etiamsi Horizon sensilis in locis editioribus turbinatus plus quam hemisphærium Cœli conspiciendum exhibeat, & plus semisse paralleli Solaris comprehendat, ut ☉ paulo diutius quam* 12 *horis supra Finitorem commorari possit, non idcirco dies sub Æquatore semper aut ubiq; major erit nocte; siquidem rara & perpaucis in locis, est ea assurgentium montium, nedum regionum altitudo, quæ plus Cœli hemisphærio intuenti detegat, id q; sicubi fiat, tantillum est quod plus videtur, ut vix Geometrica amussi, nedum sensu deprehendi queat.*

4. *Male Cardanus paralogismo demonstrare conatur in Æquinoctiis, at q; adeo sub Æquatore degentibus, diem* 3 *min.* 12. *sec. nocte majorem esse, cum solum, concludat, tantum esse excessum maximi circuli in superficie terræ a ☉ illuminati, supra semicirculum, & hunc cum excessu diei civilis ultra* 12 *Horas, quasi idem esset, confundit.*

VI. Mundi & Horizontis polis coeuntibus, sub Mundi polis Horizon etiam & Æquator congruunt.

1. *Una Ecliptiæ semissis perpetuo Horizonti extabit, reliqua perpetuo occultabitur, hæc ortus, illa occasus penitus expers.*

2. *Nulla omnino sit ibi partium Ecliptiæ, aut stellarum ascensio & discensio.*

3. *Æquinoctialis ibi trium circulorum munere fungitur, Arctici seu semper apparentium maximi, Finitoris, & Æquatoris, diem noctemque æqualiter dividentis.*

VII. Zodiaci & Horizontis obliquitas, latitudo ☾ subinde mutata, & ejusdem motus nunc velotioris, nunc tardioris Anomalia, causant ne ☾ apparitio, & illuminatio, aut eodem, aut æquali dierum numero semper definiatur.

1. *Hinc est, quod nunc citius, nunc serius a congressu sese aperit, aut ante condit, adeo, ut interdum ipso interlunii die, alias non nisi* 2°, 3°, *aut* 4°, *a synodo dis videatur.*

2. *Mensis hic apparitionis, certo dierum numero definiri nequit.*

3. *Hujus igitur varietatis causam sic determinamus, quoties tres*

prædictæ

prædictæ causæ in synodum concurrunt, ut sit ☾ in signo longarum discensionum, latitudine borea, & in inferiori Epicycli, parte cursu velox, eodem novilunij die ὑπ ἡλίου, novissima & prima videtur, si duæ tantum causarum 2°, si una sola 3°, si nulla 4° a coitu die videbitur, vel ante coitum recondetur.

4. *Castigandus Plinius, qui primam novissimamque ☾ eodem die nullo alio in signo, quam ♈ conspici scribit, cum id in quovis longarum discensionum signo a ♍ ad ♋ fieri possit, ubi circa medios nodos utramq; ☾ esse contingit transeuntem ab Austrina ad Boream latitudinem.*

VIII. Cum ☉ ob æquatore neutram in mundi partem ultra 24. gradus abscedat, perpetuumq; sit sub eo Æquinoctiũ, nec magna altitudinum Meridianarum discrimina deprehendantur, non potest brevi illo ☉ abscessu æstus tantopere remitti, ut frigora hyememque inducat.

Ap. Aliunde igitur, quam a ☉ recessu æstus hic mitigatur, & Zonæ mediæ temperiem causabunt, fluminum, amnium, fontiũ irrigationes, æstivorum imbrium frequentia, montium perpetua & immensa juga, Oceani vicinia, juges & algidi Aquilonum, aut a mari spirantium ventorum afflatus.

IX. Non tam altitudo aut humilitas ☉, respectu verticis, quam conversio a polis mundi, in extremis declinationum metis, solstitium facit.

1. *Non potest nisi in extremis declinationis solaris limitibus ♋ & ♑ solstitiũ fieri; in quibus ☉ procursũ sistit & Phænomena aliquãdiu ad sensum non variant.*

2. *Duo tantũ erint proprie solstitia intropicis, utrũq; in sphæra recta imum in obliqua unũ altum, in proximiori vertice tropico, alterum imum in semotiore.*

3. *Cum in æquatore non sit ☉ constitutus limes progressus, aut declinationis, nullatenus eorum sententiam approbamus, qui sphæræ rectæ duo alta solstitia in æquatore attribuunt.*

4. *Nec illi oppido falluntur, qui per circulum alti solstitij apud Lucanum, æquatorem intelligunt: ibi enim tropicum ♋ designat, juxta quem Iovis Ammonis templum positum censuit, ad quod Catonem*

pervenisse scribit, idcirco dixit circulum alii solstitii percutere ecliptic[am], *quia* ☊ *eam contingit tantum, non secat, ut æquator.*

X. Cum per plurimos deinceps agentium gradus virtus influxuum minuatur, & plurium repugnantium formarũ multitudo confluat, sequitur quod propria quæq; natura, ab officio quandoq; deficiat, & paulatim debilitata virtus, diversorum occursu, facilius impediatur: aut diversa materiæ qualitas ex propinquis causis, conditionibusq; contracta, effectum cœli subinde mutet.

Ap. Astrologiæ judiciariæ conjecturam incertam faciunt, cum artificum insciti[a]*, & ultra quam præstare ars possit, prædicendi audaci*[a]*; tum observationum, ex quibus judicia, & apborismi apotelesmatici colliguntur, dissimilitudo, & concurrentium causarum mutabilitas*

XI. Illis terræ partibus ☉ totus tegitur, quibus umbræ lunaris axis recta insistit, aut quas ejus diameter, qua terram attingit, comprehendit ad 28. fere passuum millia, ultra quæ vicinioribus hinc inde locis, ex parte solum obfuscatur, minore quo plus, majore quo minus intra ecliptic*æ* terminos inde distiterit; ultra hos nullus est defectus.

1. *Eclipsium solarium tum quantitatem tum durationem differentẽ efficiunt, inæqualis* ☾ *a* ☉ *apparens latitudo, dispar utriusq; syderũ a terra distantia, motus lunaris anomalia, duplex Epicycli, & paralaxis, dispares demum* ☉ ☾ *& terræ magnitudines.*

2. *Simili & varietatis lunarium defectuum in quantitate & duratione, causæ sunt,* ☾ *ab ecliptica digressio inæqualis, umbræ terrenæ conus subinde variabilis, tam penes diametri inæqualitatem, qua conus, quam penes diametrum & axem rationẽ distantiæ solaris subinde variatæ, & demum lunaris a* ☉ *elongationis verę, nunc velocioris, nunc tardioris anomalia.*

3. *Hinc illa distinctio defectuum totalium & partialium.*

FINIS.